

Vicebanus, Comites vel Vicecomites, ac Iudices nobilium dictorum Comitatum, quibuspiam Regnicolis in dictis Comitatibus existentibus, post recessum domini nostri Regis de regno Hungarie factum, aliqua facta potentiaria, dampnaque, et rerum ablationes, mutilationes, verberationes, sanguinum efusiones, hominum interfectiones, possessionum et terrarum occupationes, aliaque malorum genera et nocumenta minus juste et indebite perpetrassent vel perpetrarunt, intulissent vel intulerunt, extunc nos specialem hominem nostrum vna cum dictis octo vel sex nobilibus, vel adminus quatuor, ac Iudicibus nobilium similiter quatuor, aut duobus, ad faciem possessionis facti perpetrati ad ammonendum et satisfactionis complementum impendendum et premissa investigandum destinemus, qui prefatus homo noster, et dicti nobiles ac Iudices nobilium, rescita premissorum mera veritate, si per annotatos Vicebanum, Comitem ac Vicecomitem, nec non familiam eorundem, eo modo facta fore compererint, extunc facta ammonitione ex parte talium vel talis perpetratorum vel perpetratoris ad plenariam satisfactionem et solutionem astringant, et si premissam satisfactionem et solutionem facere recusaret vel recusarent, extunc possessiones habentes per occupationes possessionum eorundem, si vero impossessionati extiterint, per ablationes bonorum et rerum suarum, ymo si necesse fuerit cum detentione personarum ipsi leso et querulanti satisfactionem valeant atque possint; insuper huiusmodi possessiones occupatas tamdiu, quousque a Regia Majestate sibi de remedio gratioso provisum fuerit, idem querulans conservare valeat atque possit; e converso autem, quicumque nobilis premissa facta potentiaria ipsis Vicebanis, Comitibus ac Iudicibus nobilium consimiliter perpetrarunt aut perpetraverint, consimilem penam consequantur. Ceterum extitit determinatum, quod Prelati et Barones, ac proceres et nobiles regni in ipsas sedes judiciarias tempore octavarum predictarum confluentes, non pluribus nisi quatragenta equitibus .. facta eorum prosequentes ad Iudicium progredientes venire valeant, ita videlicet, quod vniversi et singuli cuiuscunque status et conditionis homines existant, ad sedem Iudiciariam tempore predicto in Iudicium accedentes inermes, videlicet sine loriceis, clipeis, gladiis, sagittis ac aliis quibusvis armorum generibus, demptis duntaxat bicellis, venire debeant et teneantur, aliudque non sint ausi facere modo aliquali. Et si quis ausu temerario contra hanc previam dispositionem processerit vel fecerit, talis in persona captiuetur, ac armis, et rebus et bonis circa ipsum habitis per Vicebanum et Comites predictos priuetur et desumatur; hoc non pretermisso, quod idem nobiles nobis propter fidelitatem domino nostro Regi observandam, et quoad defensionem et tuitionem dictorum Comitatum et vniversorum premissorum perfectionem et impletionem totis viribus juxta posse ipsorum fidelia servitia exhibere assumpserunt, quos et nos serie presentium protegere spondimus, ubi nos talem, vel tales, qui in premissis persistere nollent, et se premissis opponere attemptarent aut rebellizarent, huiusmodique dispositioni et ordinationi aquiescere nollent, vel contra premissa ausu temerario et rebellione procederent, cum nostris viribus ad premissa facienda et complenda astringere et vincere non valeremus aut non possemus, et dictis nobilibus regni insurgere mandaremus, extunc vniversi vniversaliter, et singuli singulariter, videlicet cum equitibus et pedibus, demptis orphanis, viduis, infirmis et viribus destitutis insurgere, et contra talem vel tales procedere, et eosdem juxta eorum dem..... per occupationes possessionum suarum punire valeamus, atque possi... ita tamen, quod fratres